



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Commentariorvm, Ac Disputationvm, In Tertiam Partem Divi Thomae. Tomi Qvinque

Qui Est Primvs De Sacramentis: In Qvo Ea Continentvr, Qvæ Post
Præfationem Indicantvr

Suárez, Francisco

[Köln], 1619

3 An solius iusti sit manducare sacramentaliter.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93807](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93807)

nem, eo modo, quo Angelis eo fruuntur. Et quia ea, qua sunt ad finem, deriuantur a fine: inde est, quod ista manducatio Christi, qua eum sumimus sub sacramento, quodammodo deriuetur ab illa manducatione, qua Angelis fruuntur Christo in patria. Et ideo dicitur homo manducare panem Angelorum, quia primo & principaliter est Angelorum, qui eo fruuntur in specie propria: secundario autem est hominum, qui Christum sub sacramento accipiunt.

Ad secundum dicendum, quod ad societatem corporis mystici pertinent quidem & homines, & Angeli: sed homines per fidem, Angeli autem per manifestam visionem. Sacramenta autem proportionantur fidei, per quam veritas videtur in speculo, & in enigmate. Et ideo proprie loquendo, non Angelis sed hominibus conuenit manducare spiritualiter hoc sacramentum.

Ad tertium dicendum, quod Christus manet in hominibus secundum presentem statum per fidem, sed in Angelis beatis est per manifestam visionem. Et ideo non est simile, sicut dicitur.

In fil. prae. clausi est. *
arg. 2. & 3. in
q. 1. art.

COMMENTARIVS.

Diuus Thomas solum mouet hanc quaestionem propter Angelos, nam de inferioribus creaturis, vt per se euident ac manifestum supponit, non esse capaces spiritualis manducationis sacramenti. De Angelis vero videbatur posse esse dubium: quia voluntate possunt Christo coniungi: vnde videntur posse desiderare ac appetere vniorem cum Christo, in quo consistit spiritualis manducatio huius sacramenti. Respondet autem Diuus Thomas: Angelos, quamuis affectu vniantur Christo secundum se, non tamen appetere manducationem eius, prout est sub speciebus sacramentalibus: quia, cum sint incorporei, non sunt capaces huius manducationis: & ideo, licet spiritualiter manducent Christum, non tamen hoc sacramentum, & in hunc modum explicat Diuus Thomas in solut. ad illud Psalm. 77. Panem Angelorum manducauit homo: vt, scilicet Christus dicatur panis Angelorum, quia illum spiritualiter manducant: quia sensus spiritualis est: ad literam enim de Manna ibi est sermo, quae dicitur panis caeli, & panis Angelorum: quia & superne descendit, & per Angelos est subministratus, vt ex contextu constat: & ita exponunt Basil. Theodor. Anthonius, & alij. Sed dicit aliquis: quamuis Angeli non desideret efficaci desiderio sumere hoc sacramentum, tamen simplici quadam complacentia ita ad illud affici, vt virtute saltem sumendi illud, si possent spiritualiter manducare, possint dici, sicut dicunt interdum Patres, Angelis ita placere passiones pro Christo susceptas, vt quodammodo inuideant hominibus, quod illarum sint capaces: nam vellent eas sustinere si possent: hic autem affectus videtur sufficiens ad spirituales manducationem huius sacramenti: homines enim quando non possunt sacramentaliter accipere hoc sacramentum, non aliter sumunt illud spiritualiter, quam per similem affectum: tunc enim non possunt habere actum efficacem, sed simpliciter tantum, seu conditionalem. Et confirmatur, nam ante institutionem huius sacramenti, non erant homines capaces illius: & tamen dicuntur illud manducasse spiritualiter per fidem, & desiderium explicitum, vel implicitum: ergo idem dici potest de Angelis: nam quod incapacitas oriatur ex parte subiecti, vel ex parte sacramenti, nihil ad rem presentem referre videtur. Respondetur ad argumentum, non oportere fingere in Angelis illum modum desiderij conditionalis: quia neque eorum naturae est accommodatum, neque etiam eorum status, quia non per fidem ambulant, sed per speciem, & ideo nihil appetunt, nihil quod eorum statui est accommodatum, & ita Diuus Thomas magis hoc fundat in statu gloriae, quam in conditione spirituali.

Fr. Suarez, Tom. 3.

Angelica naturae: vnde illius conclusio, non solum de Angelis, sed etiam de hominibus beatis, vera est, etiam si animo & corpore sint gloriosi: secus vero est de viatoribus, qui secundum presentem statum capaces sunt huius sacramenti, & absolute possunt ac tenentur illud accipere: & ideo fide saltem, & proposito illi debent vniri, si ex accidenti contingat, non posse actione corporis illud manducare: hoc autem propositum, in affectu appetentis de se efficacis est, licet in re non possit esse per modum absolute voluntatis, ob impedimentum in obiecto propositum. Et hinc ad confirmationem facile est differentiam assignare inter beatos, & viatores fideles, qui praecesserunt institutionem huius sacramenti: quamquam de iis etiam non constet, eos proprie ac formaliter manducasse spiritualiter hoc sacramentum, sed tantum metaphorice & in figura, vt D. Th. dixit ar. precedenti ad 3. Non tamen repugnat, aliquos perfectiores, qui habuerunt fidem explicitam huius mysterij, habuisse etiam quaedam desideria fruendi tanto beneficio, quae potest dici spiritualis manducatio huius sacramenti: quae utilis esse potuit illis hominibus, & accommodata eorum statui ad meritum, & ad excitandum affectum erga Christum, quamuis non esset simpliciter ad salutem necessaria.

ARTICVLVS III.

Vtrum solus homo iustus possit Christum sacramentaliter manducare.

Ad tertium sic proceditur. Videtur, quod nullus possit manducare Christum sacramentaliter, nisi homo iustus. Dicit enim Augustinus in libro de remedio penitentiae: Vt quid paras si edentem & ventrem crede, & manducaisti, credere enim in eum, hoc est panem viuum manducare. Sed peccator non credit in eum, quia non habet fidem formatam, ad quam pertinet credere in Deum: vt in secunda parte habitum est: ergo peccator non potest manducare hoc sacramentum, quod est panis viuus.

2. Praterea, Hoc sacramentum maxime dicitur esse sacramentum charitatis, vt supra dictum est. Sed sicut infideles priuantur fide: ita omnes peccatores priuantur charitate. Infideles autem non videntur posse sacramentaliter sumere hoc sacramentum, cum in forma huius sacramenti dicatur mysterium fidei. Ergo pari ratione, neque aliquis peccator potest corpus Christi sacramentaliter manducare.

3. Praterea, Peccator est magis abominabilis Deo, quam creatura irrationalis: dicitur enim in Psalm. 48. de homine peccatore: Homo, cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis. Sed animal brutum (puta mus, aut canis) non potest sumere hoc sacramentum, sicut etiam non potest sumere sacramentum baptismi. Ergo videtur quod pari ratione, neque peccatores hoc sacramentum manducant.

Sed contra est, quod super illud Ioan. 6. Patres vestri manducauerunt manna in deserto, & mortui sunt: dicit Augustinus: Multi de altari accipiunt, & accipiendo moriuntur: vnde dicit Apostolus: Iudaeum sibi manducat & bibit. Sed non moriuntur sumendo, nisi peccatores. Ergo peccatores corpus Christi sacramentaliter manducant, & non solum iusti.

Respondetur dicendum, quod circa hoc quidam antiqui errauerunt, dicentes, quod corpus Christi nec etiam sacramentaliter a peccatoribus sumitur, sed quam cito labijs peccatoris contingitur, iam cito sub speciebus sacramentalibus definit esse corpus Christi. Sed hoc est erroneum: derogat enim veritati huius sacramenti, ad quam pertinet (sicut supra dictum est) quod manentibus speciebus, corpus Christi sub eis esse non desinat. Species autem manent, quamdiu substantia panis maneret, sibi adhaeret, vt supra dictum est. Manifestum est autem, quod substantia panis assumpta a peccatore, non statim esse definit, sed manet, quamdiu per calorem naturalem digeratur. Vnde etiam dicitur corpus Christi sub speciebus

Vuu 3 Sacra

sacramentibus manet à peccatoribus sumptis. Vnde dicendum est, quod peccator sacramentaliter corpus Christi manducare potest, & non solum iustus.

Ad primum ergo dicendum, quod verba illa, & similia sunt intelligenda de spiritali manducatione, qua peccatoribus non conuenit. Et ideo ex prauo intellectu horum verborum videtur pradiatus error processisse, dum nescierunt distinguere inter corporalem & spiritalem manducationem.

Ad secundum dicendum, quod, etiam si infidelis sumat species sacramentales, corpus Christi sub sacramento sumit. Vnde manducat Christum sacramentaliter, sicut sacramentaliter, determinat verbum ex parte manducati, si autem ex parte manducantis, tunc proprie loquendo, non manducat sacramentaliter: quia non videtur eo quod accipit, ut sacramentaliter, ut simplici cibo: nisi forte infidelis intendat recipere illud, quod Ecclesia confert, licet non haberet fidem veram circa alios articulos, vel etiam circa hoc sacramentum.

Ad tertium dicendum, quod, etiam si mus, vel canis, hostiam consecratam manducet, substantia corporis Christi non desinit esse sub speciebus, quamdiu species illa manent: hoc est, quamdiu substantia panis maneret: sicut etiam si projiceretur in lutum. Nec vergit in detrimentum dignitatis corporis Christi, qui voluit à peccatoribus crucifigi absque diminutione suae dignitatis, praeterquam cum mus, aut canis, non tangat ipsum corpus Christi secundum propriam speciem, sed solum secundum species sacramentales. Quidam autem dixerunt, quod statim, cum sacramentum tangitur à mure, vel cane, desinit ibi esse corpus Christi. Quod etiam derogat veritati sacramenti, sicut supra dictum est.

In cor. ar.

Nec tamen dicendum est, quod animal brutum sacramentaliter corpus Christi manducet: quia non est natum vti eo, ut sacramento. Vnde non sacramentaliter, sed per accidens, corpus Christi manducatur, sicut manducaret ille, qui iureret hostiam consecratam, nesciens eam esse consecratam. Et quia id, quod est per accidens, non cadit in diuisionem alicuius generis: ideo hic modus manducandi corpus Christi, non ponitur tertius, praeter sacramentalem, & spiritalem.

COMMENTARIVS.

Conclaf. D. Thoma. Quādiu durans species & Christum sub illis, sumi posse à quocunq; accedente ad illud.

Quatuor quaestiones tractat Diuus Thomas in hoc articulo. Prima, an peccatores fideles manducant sacramentaliter corpus Christi. Secunda, in solutione ad 2. an peccatores etiam infideles illud manducant: & eadem quaestio procedit, quando cunque homo comedit hostiam consecratam, existimans esse purum panem. Tertia, in solutione ad 3. an brutum animal comedens species consecratas, comedit etiam corpus Christi. Quarta, in eadem solutione, an corpus Christi maneat in loco immundo, si in illum sacramentum proiciatur. Ad quae omnia ex vno eodemque principio respondet, scilicet, Christum manere sub speciebus, quamdiu species consecratae durant. Ex hoc etiam sequitur affirmatiua responsio ad omnes quaestiones propositas, quamuis ex parte suscipientium sit quaedam diuersitas: nam, qui habet cognitionem & fidem huius sacramenti, per se & ex intentione suscipit sacramentum, & ideo dicitur sacramentaliter manducare corpus Christi, tam ex parte rei sumptae, quam ex parte sumentis: qui autem caret & fide, & cognitione, ex parte sua seu intentione non recipit sacramentum, & ideo per accidens dicitur manducare corpus CHRISTI, ex vi & necessitate rei manducatae, quae omnia & per se sunt facilia, & in superioribus latius tractata sunt.

)(

Verum peccator sumens corpus Christi sacramentaliter, peccet.

Ad quartum sic proceditur. Videtur, quod peccator sumens corpus Christi sacramentaliter non peccet. Non enim est maior dignitas Christus sub specie sacramenti, quam sub specie propria. Sed peccatores tangentes corpus Christi sub specie propria, non peccabant, quoniam etiam vnicuique peccatorum consequentur, sicut legitur Luc. 7. de muliere peccatrice, & Matth. 2. dicitur: Quicunq; tetigerunt simbriam vestimenti eius, salui facti sunt. Ergo non peccant, sed magis saltem consequuntur, sacramentum corporis Christi sumendo.

Præterea, hoc sacramentum, sicut & alia, est quaedam spiritalis medicina. Sed medicina datur infirmis ad salutem: secundum illud Matth. 9. Non est opus valere illi medicus, sed male habentibus. Infirmi autem, vel male habentes spiritaliter, sunt peccatores. Ergo hoc sacramentum ab eis, culpa sumere possunt.

Præterea hoc sacramentum cum in se Christum contineat, est de maximis bonis. Maxima autem bona, secundum Augustinum, sunt, quibus nullus male potest vti. Nullus autem peccat, nisi per abusum alicuius rei. Ergo nullus peccator sumens hoc sacramentum, peccat.

Sicut hoc sacramentum sentitur gustu, & tactu, ita & visu. Si ergo peccator ex eo, quod sumit hoc sacramentum peccet, videtur etiam, quod peccaret videndo. Quod patet esse falsum, cum Ecclesia omnibus hoc sacramentum videndum & adorandum proponat. Ergo peccator non peccat in hoc, quod manducat hoc sacramentum.

Contingit quandoq; quod aliquis peccator non habet conscientiam sui peccati, nec tamen alii peccare videtur, corpus Christi sumendo: quia secundum hoc omnes peccarent, qui sumunt, quasi periculo se exponentes, cum apostolus dicat 1. Cor. 4. Nihil mihi conscientium sum, sed non in hoc iustificatus sum. Non ergo videtur, quod peccatori cedat in culpam si hoc sacramentum sumat.

Sed contra est, quod apostolus dicit, 1. Cor. 11. Qui manducat & bibit indigne iudicium sibi manducatur & bibit, id est, condemnationem. Dicit autem Glossa ibidem, quod indigne manducat & bibit, qui in crimine est, vel irreuerenter tractat. Ergo, qui est in peccato mortali si hoc sacramentum accipiat, damnationem acquirit, mortaliter peccans.

RESPONDEO dicendum quod in hoc sacramento sicut in alijs, id quod est sacramentum, est signum eius, quod est res sacramenti. Duplex autem est res huius sacramenti, sicut supra dictum est. Vna quidem, quae est significata & contenta, scilicet, ipse Christus: alia autem est significata & contenta, scilicet, corpus Christi mysticum, quod est societas sanctorum. Quicunq; ergo hoc sacramentum sumit, ex hoc ipso significat se esse Christo vnicuique & membrum eius incorporatum: Quod quidem fit per fidem formatam, quam nullus habet cum peccato mortali. Et ideo manifestum est, quod quicunq; cum peccato mortali hoc sacramentum sumit, falsitatem in hoc sacramento committit, & ideo incurrit sacrilegium, tanquam sacramenti violator, & propter hoc mortaliter peccat.

Ad primum ergo dicendum, quod Christus in propria specie apparet, non exhibebat se tangendum hominibus in signum spiritalis vnicuique ad ipsum, sicut exhibetur sumendis in hoc sacramento. Et ideo peccatores eum in propria specie tangentes, non incurrebant crimen falsitatis circa deum, si ut peccatores sumentes hoc sacramentum. Et praeterea Christus adhuc gerebat similitudinem carnis peccati, & ideo conuenienter se peccatoribus tangendum exhibebat. Sed remota similitudine, carnis peccati per gloriam resurrectionis, se tangi prohibuit à muliere, quae defectum fidei circa ipsum patebat, secundum illud Ioan. 20. Noli me tangere, nondum enim